



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

humilitate & reverentia. Aliàs se præsentabunt, quasi ægros coram pleno charitatis Medico, cui vulnere sua ac morbos aperiant. Quandoque etiam veluti pauperes ac mendicos coram divite quopiam pleno compassionis. Nonnunquam etiam tanquam discipulos coram suo Magistro, à quo illuminari petant & instrui. Subinde tanquam amantissimi filii Patrem suum cœlestem filiali cum amore, respectus ac fiduciæ pleno, alloquentur. Aliquando etiam loquentur ei tanquam sincerissimo optimoque amico, cui dubia sua proponent, ut illius reportent consilium, sua exponant desideria, ut obtineant auxilium, suas aperient necessitates, ut consequantur levamen, hæcque omnia quivis faciet secundum interiores suas, quas in se experitur quisque, dispositiones. In omnibus enim præceptis illis, quæ hic nos statuimus, id unum semper supponimus, Spiritum videlicet sanctum primum esse ac principalem divini istius exercitii Magistrum: ideoq; omnia exercitia nostra illum solum spectare debent, ut removeamus obstacula, quæ illum impedire possent, quominus in nobis illa lumina, illos affectus, illosq; quos nobis communicare voluerit, affectus producat.

## CAPUT VII.

*Methodus in quibusdam in particulari materiis observanda.*

**T**amen si quacumque de re institui possit meditatio, cum nulla in mundo sit creatura,

*Tres di-  
versorum,  
qui stu-  
dent ora-  
tioni, sta-  
tus.*

tura, cujus consideratio mentem nostram ad Dei notitiam non possit elevare, cum ipse in singulis suarum ineffabilium vestigia impresserit perfectionum; certæ tamen sunt materiæ, quarum frequentior magisque ordinaria nobis esse debet consideratio, eò quod illa utilior nobis sit magisque proficua. Illæ in tres communiter classes rediguntur, ut tribus serviant statibus perfectionis, nimirum incipientium, proficientium & perfectorum.

*Materia  
medita-  
tionis pro-  
pria inci-  
ipientium.*

*Incipientibus* assignari solet, horror vitiorum, maligni effectus peccatorum, quatuor hominis novissima, puta, mors, iudicium, infernus & cœlestis gloria, notitia sui ipsorum, aliæque materiæ propriæ viæ purgativæ, quæque in animis illorum generare possint odium sui, timorem Dei, mundi contemptum & veram cordis compunctionem.

*Proficientium.*

*Proficientibus* assignantur virtutes, omnia mysteria vitæ, mortis, & passionis Salvatoris nostri, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, exempla sanctorum, vota, regulæ & praxes Religionis, Evangelia, Psalmi & alii Scripturæ sanctæ libri, aliæque consimiles materiæ, quæ inserviant illorum mentibus divino lumine illustrandis, animabusque eorum, ab omni peccatorum sordē in statu præcedenti jam emendatis, virtutum cultu exornandis.

*Perfectorum.*

*Perfectis* materiam orationis suggerunt beneficia Dei, tam generalia quam particularia, attributa divina, aliæque hujus generis argumenta, quæ in ipsis generent efficacissima motiva inflammandi atque in cordibus suis con-

con-

continuo fovendi intimum & purissimum divinæ Majestatis suæ amorem : Illæ tamen materiæ non ita sunt uni statui propriæ, quin alteri, certis in occasionibus, & juxta diversas cujusque dispositiones, possint inservire : satis enim contingit frequenter, ut Novitii satis efficaciter se sentiant à Deo tactos, ideoque non sine fructu materias proficientium aut etiam perfectorum proprias assumere possint meditandas. In pluribus è contra occasionibus perfectis necessarium est, ut ad considerationes incipientibus proprias descendant, eò quod, quantumvis sint perfecti, suas nihilominus in parte inferiori experiantur repugnantias & luctas, & in superiori plura expurganda ac regulanda advertant : ea de causa omnino necesse est, ut Novitii in omnibus, quantum ad materiarum meditationis suæ delectum, Magistri ductum & ordinationem sequantur. Interim tamen hic nos, paulò quam capite præcedenti enucleatius ac specialius, quædam puncta principalia, quorum possint considerationi insistere, idque omnino juxta trium classium supradictarum ordinem, deducemus.

*De materiis meditationis propriis Incipientibus; & quidem primæ considerationes de peccato.*

I. **P**rima classis est *Incipientium*, in qua si quis meditari velit de peccato in generali, considerabit.

I. Quid

1. Quid sit peccatum in seiplo acceptum, esse videlicet horrorem omnium horrorem, & abominationem omnium abominationum, nihilque aliud nisi corruptionem & inordinationem, malitiam atque ipsam improbitatem, imò esse pejus nihilo, quia multò satius esset nunquam extitisse, quàm peccasse.

2. Peculiaris peccatum est à versio à Creatore, & conversio ad creaturam, formalis rebellio, & expressa prævaricatio præceptorum divinorum, quantumvis æquissimorum, non minus quam facilius. Ex quo nascitur, quod peccatum committere, sit committere incredibilem indignitatem, quæ peccatorem reddit infinitè abominabilem Deo, qui omnigenistitulis & nominibus dignus est, cuius præceptis obtemperemus.

3. Considerabit funestos effectus, quos in anima peccatoris producit. Primò enim illum spoliatur gratia Dei, & jure quod habebat in æternam beatitudinem. Secundò illum exiit omnibus omnino meritis. Tertiò illum constituit diaboli mancipium, idque modo multò funestiori ac lamentabiliori, quàm sint illi, quorum corpora à dæmonibus sunt possessa.

4. Quam rigorosè Deus ipsum puniat, videlicet non nisi pœnis æternis, quæ quidem pœnæ non solum infliguntur illis, qui aliquam admiserunt peccatorum multitudinem, verùm etiam iis, qui non nisi unicum, idque cogitatione fortassis tantummodo absq; operis ipsius effectu, commiserunt.

5. Dein-

5. Deinde reflectet se super his, quæ ipse commisit, considerando illorum multitudinem, atque enormitatem, nec non & pœnas illis debitas.

6. Contendet veram de illis elicere contritionem, factâque fortissimâ omnia peccata impoſterum] morte ipsâ amplius fugtendi resolutione, illius propositi sui exequendi media inquiret.

Eundem quis servare poterit ordinem, ubi de aliquo in particulari peccato voluerit meditari, addendo considerationem virtutis illi oppositæ, ut, per illam peccati deformitatis cum virtutis pulchritudine oppositionem, illius horror melius & clarius perspiciatur, & quotquot in virtute bonos effectus, insignesque adnotârit proprietates, tot è contra in opposito peccato concludet esse effectus malignos ac deformitates. Parum attamen considerationi peccatorum castitati oppositorum oportet insistere, propter periculum, quod hac in materia reperitur.

Peccata communiter bifariam dividuntur. Primò distribuuntur in quatuor classes, puta cogitationis, locutionis, operis & omissionis. Secundò considerando illa aut prout sunt contra Deum, aut contra proximum aut contra nosmetipsos. Quælibet istarum classium aut divisionum poterit materiam meditationis suggerere, ita videlicet, ut unâ quis die consideret peccata, quæ commisit cogitatione, alterâ quæ locutione, & sic de aliis.

2. *Considerationes, quæ pertinent ad notitiam sui ipsius.*

**C**onsiderare quis poterit primò, quid sit in statu naturæ, deinde quid in statu gratiæ.

1. In statu naturæ nihil sumus ex nobismet-ipsis, quia totum esse nostrum à Deo solo recepimus, postquam per totam æternitatem omninò nihil fueramus.

2. Hoc ipsum *esse*, quod habemus, adeò est imbecillum, ut si Deus, qui ipsum nobis dedit, continuo conservationis beneficio illud non sustineret, mox in nostrum nihilum reincidenteremus.

3. Quin & nosmetipsi adeo in agendo sumus debiles, ut, nisi Deus in qualibet actione nostra concursu suo generali opitularetur, ne vel manum possemus movere.

4. Quantum ad animam, ignorantia sumus pleni, nostrarumque subjecti bello passionum, quibus frequenter succumbimus, atque ita à vitis non rarò superamur.

5. Quantum ad corpus, illud est in præsentis vas plenum immunditatis, & aliquando esca vermium erit.

In statu similiter gratiæ considerare quis poterit,

1. Quod si illam habeamus, non habemus nisi ab infinita Dei misericordia, qui nobis illam nullo titulo debebat, quique de facto pluribus illam Regibus, Monarchis & Magnatibus, qui illam nobis etiam amplius promeriti fuisse videri possent, denegavit.

2. Nos

2. Nos nulla ratione possumus in statu gratiæ persequere, nisi ille, qui in eo nos collocavit, Deus in ipso nos incessanter conseruet.

3. Ne vel minimum virtutis cujusvis elicere possumus actum, absque speciali bonarum illius inspirationum, & sanctarum emotionum subsidio.

4. Deinde super seipsum se reflectens expendet, quantum ipse sit in illis ipsis gratiarum subsidiis correspondendo infidelis, quotque sit imperfectionibus subjectus, atque ita quandam quasi coram Deo confessionis speciem efficiet.

Demum ex omnibus considerationibus istis elicere poteris exiguum, omninoque vilem tuimetipsum existimationem, ac deinde confunderis de illa, quam hactenus aliquatenus prætulisti, præsumptione, omninoque statues nihil impofterum per vanam gloriam tibi metipsum attribuire, verum ad Deum, boni omnis authorem, omnia, quæ in te videri bona possent, referre.

### 3. *Considerationes de Morte.*

1. **C**onsiderabis quid sit mors: animæ videlicet à corpore separatio, quæ necessariò aliquando, infallibiliterque eveniet.

2. Quam incerta sit mortis hora, sicut & modus, quo nos illa invadet, subito videlicet aut ex præmeditato.

3. Dolores, terrores, & horrores, qui illam solent prævenire.



4. Tentationes, malæ vitæ pœnitudines, ac Dei judiciorum metus, quæ illam comitantur.

5. Denique felicitatem aut infelicitatem, quæ illam subsequuntur, quæ quidem incerta cum sint, animam in desperationem penè adducunt.

6. Reflectes te supra negligentiam vitæ præteritæ, emendationisque propositum concipies, atque ad eum modum vivere imposte-  
rum statues, ut semper ad moriendum paratus existas.

Unum alterumve horum punctorum integræ meditationi materiam omnino sufficientem præbere poterit.

4. *Considerationes de generali  
judicio.*

*Sol obscurabitur & Luna non dabit lumen suum & stella cadent de caelo & virtutes caelorum commovebuntur.*  
*Matth. 24, 29.*

**C**ONsiderabis terribilia signa, quæ ipsum præcedent, prout Christus ea prædixit in Evangelio.

2. Resurrectionem universalem omnium hominum ab Adamo ad ultimum usque posterorum illius.

3. Congregationem omnium creaturarum; omniumque nationum ante tribunal Christi sonitu tubæ factam citationem,

4. Distinctam conscientiarum omnium, omniumque, quæ unquam patrata fuerint, peccatorum, simul cum omnibus suis circumstantiis manifestationem.

5. Rigorem ac severitatem judicis, qui nullius, nisi idipse promeritus fuerit, miserebitur.

6. De-

6. Definitivam ac peremptoriam sententiam iudicis, à qua non liceat appellare, quæque eodem statim momento executioni mandetur, ubi, iustis in paradysum receptis, peccatores in inferni abyssum præcipites demergentur.

7. Tandem supra vitam tuam præteritam, quantum necesse fuerit, reflectes, fortiterque illam emendare tibi propones, eo modo, quo in aliis materiis fieri debere jam monuimus.

### 5. Considerationes de Inferno.

I. **O**B oculos tibi propones terribilem locum istum, qui est vasta quædam concavitas in centro terræ sita, plena flammis, formidabili quadam ac terribili activitate damnatorum corpora adurentibus, nec tamen consummentibus.

2. Considerabis alias pœnas sensibiles: singuli enim illic sensus sua peculiaria sustinebunt tormenta, præter vermem conscientiæ, quæ erit æterna quædam pœnitudo de cœli amissione, & continuusque de admissio peccato remorsus.

3. Peculiaris oculi horribili terrebuntur visione dæmonum; aures fragorem audient, terribiliumque plurimarum vocum confusio-nem, sicut & blasphemias, clamores, ululatus &c. odoratus foetores percipiet horrendos; Lingua potabitur felle omnibusque quam maximè abominabilibus venenis.

4. Istarum pœnarum æternitatem. *Quia vermis eorum non moritur & ignis eorum non* Marc. 9.  
*extinguitur*, inquit Christus Salvator noster. 43.

*Et tunc  
parebit  
signum  
filii  
hominis,  
& tunc  
plangent  
omnes  
terras,  
& vide-  
bunt  
filium  
hominis  
venientem  
in nubibus  
cœli cum  
virtute  
multa  
&  
Majestate.  
Ibid. v. 30.*

*Apoc. 19.* *Et ascendet fumus eorum in secula seculorum,*  
3. *adjungit sanctus Joannes Evangelista,*

5. Tandem produces & reflexiones & resolutiones necessarias, atque ad fructum ex his considerationibus speratum eliciendum opportunas.

6. *Considerationes de aeterna gloria.*

*Platea & 1.* **L**ocum tibi exhibebis illi, quem supra de  
*muri ejus* inferno descripsimus, omninò opposi-  
*ex auro* tum.

*purissimo,* 2. Est videlicet iste locus plenus luce, quæ  
*porta ni-* nunquam deficit vel obscuratur. Auro est pu-  
*tent mar-* rior, chrystallo lucidior, ubi felix regnat im-  
*garitis* mortalitas.  
*&c.*

*Inebria-* 3. Anima illic inebriatur incomprehensibili  
*buntur ab* felicitate, quia intellectus potietur clara Dei  
*ubertate* visione, voluntas verò illius fruitione, amor  
*domus tua* ejus suavissimo, ampliusq; quam quis unquam  
*& torren-* fit expertus penetranti, sociatâ.

*te volu-* 4. Corpus illic plenum gloriâ Solis instar  
*ptatis tua* fulgebit, & quatuor donis, impassibilitatis,  
*potabis eos* subtilitatis, agilitatis & claritatis beabitur.  
*Pf. 35. 9.*

*Tunc justi* 5. Quinque sensus omnibus, quarum quî-  
*fulgebunt* dem capaces fuerint, recreationibus perfunden-  
*sicut Sol* tur, idque singulari quadam cum puritate ac  
*in regno* spiritus elevatione, quæ Deo semper illos reti-  
*patris sui.* nebit unitos.  
*Matth. 13.*

43. 6. Gloriosa electorum omnium, sicut &  
*Erunt* beatorum spirituum, societas non parum ad  
*sicut An-* lætitiâ paradisi conferet, potissimum verò  
*geli Dei* aspectus & societas sacratissimæ humanitatis  
*in caele.* Salvatoris nostri, & illius sanctissimæ matris.  
*Matt. 22.*

7. Tandem reflexiones elicies & resolutiones necessarias, ad fructum concupitum ex istis considerationibus percipiendum accommodas.

*Beati immaculati in via. tanquam si diceret, si vis esse beatus, esto immaculatus. D. Aug.*

Quantum ad ea, quæ de quatuor novissimis dicta sunt, adiri poterit Catechismus noster in quo abundantissimam meditationis materiam quis inveniet.

CAPUT IIX.

*De aliis meditationum materiis proficientium propriis.*

**D**iximus jam superius proficientibus ordinariè meditandum esse de virtutibus, de vita, miraculis & passione Salvatoris nostri, de sanctissimo Sacramento, de vita B. Virginis, de exemplis Sanctorum, de votis ac regulis Religionis, de sententiis sacræ Scripturæ, & aliis similibus argumentis illorum intellectui in via Dei magis magisque illuminando accommodas.

*I. Consideratio de virtute in genere.*

**S**I quis igitur meditari voluerit de virtute in genere, considerabit

1. Illius naturam, putà quod sit sanctus quidam habitus, excellens qualitas, certum ornamentum, perfectio & decor animæ, eos, qui illam possederint, felices reddens, atque ad bene operandum disponens.

2. Causas illius. Est enim excellens quædam participatio & imitatio alicujus perfectionis Dei, nobilissimusq; gratiæ Spiritus sancti in animabus nostris relictus effectus.

*Causa.*  
 1. Exemplaris.  
 2. Efficiens.  
*Qui deficit sibi, ut virtuti adhareat, amittit quod suū ost. accipit quod æternum est.*  
 D. Amb.